

meis fugies aduersarios tuos, et illi te persequetur, aut tribus diebus erit pestilentia in terra tua: nunc delibera. Parui refert quod hebraice habetur. discernere inter hæc. & vide quem respondeam ei qui me misit sermonem.

Dixit autem Dauid ad Gad: coarctor valde, incidamus quæso in manum domini (multæ enim sunt miserationes eius) & in manu hominis non incidamus. Immisitque dominus pestilentiam in Israel. Discursus Dauidis fuit quod fames non erat ei, sed populo nocitura: fuga autem à persecutoribus erat incidere in manus hominum: pestis vero erat incidere in manus Dei, & communis erat ei & populo. & propterea contritus iam corde petiit pestem. à mane usque ad tempus constitutum. proculdubio tridui. tantum enim tempus constituerat deus per Gad prophetam. & mortua sunt ex populo à Dan usque ad Beersabab septuaginta millia virorum. Nulla mulier legitur mortua ex hac peste: nimirum ut essent exemptæ à pœna quæ non peccauerant. Extenditque manum suam angelus super Ierusalem ad disperdendum eam. Prius narrata est vniuersa summa mortuorum à Dan usque; Beersabab, hoc est in vniuerso regno: deinde in specie narratur quid inter moriendum gestum sit in Ierusalem ad manifestandum modum quo cessauit pestis. Narrantur enim duo: alterum quod angelus domini apparuit super Ierusalem extensa manu cum gladio ad occidendum non qualiter cunque, sed ad destruendum eam. alterum subiungitur. & miserus est dominus super afflictionem. Hebraice habetur. & penituit Iehonah ad malum. videlicet destructionis Ierusalem commissæ angelo efficiendum. dixitque angelo disperdenti populum sufficit nunc. Iuxta Heb. habet. multum. Deinde sequitur. nunc contine manum tuam. Videbatur enim angelus euaginato gladio percussis & perseverans ad destruendum: & propterea deus prohibens destructionem dicit quod multum esset prosequi destructionem. erat autem angelus domini iuxta aream Arau'ne Iebusei. Ut clare explicatur in paralipomenon, angelus domini apparebat in aere supra illam aream in monte Mori'iah ubi postea ædificatum est templum ubi Ishac immolatus positus est, ubi Iacob vidit scalam cum angelis ascendentibus & descendentibus: ut subiuncta inferius testantur.

Dixitque Dauid ad dominum cum vidisset. oculis corporeis. ut in paralipomenon explicatur. angelum cadentem populum: & dixit, ecce ego peccaui & ego ini que egi, isti autem qui oues sunt quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me & contra domum patris mei.

mei. Non affectu inordinato hoc peti: quia scelus est, si alii percutiendi sunt propter peccatum meum, percutiatur potius domus patris mei quam alii, quemadmodum domus patris mei propter me exaltata est & boni mei magis est particeps.

Veni autem Gad ad Dauid in die illa. videlicet temporis constituti: hoc est in die tertia pestis. tertia siquidem die visus est angelus à Dauide & aliis supra Ierusalem: quoniam tunc dixit deus angelo, multum &c. & dixit ei ascende, erige altare domino in area Arau'ne Iebusei. Et ascendit Dauid iuxta sermonem Gad quem admodum præceperat ei dominus. Respexitque Arau'na, & vidit regem & seruos eius transcurrentes ad se: & egressus est Arau'na, & adorauit regem facie sua in terram. Dixitque Arau'na, cur venit dominus meus rex ad seruum suum? cui Dauid ait, ad emendum à te aream ut adificet altare domino, & cesset plaga à super populum. Hinc clare apparet quod adhuc non cessauerat pestis, adhuc deus non dixerat angelo, multum &c. sed more suo scriptura prius compleuit narrationem gestorum inter Deum & angelum: deinde subiungit mediâ ordinata ad efficienda illa narrata gesta. subiunxit enim supplicationem Dauidis, monitionem prophetæ, obedientiam regis & sacrificium &c. Et ait Arau'na ad Dauid, accipiat & offerat dominus meus rex quod bonum est in oculis suis: vide boues in holocaustum & plaustra & instrumenta beorum pro lignis. Omnia dedit Arau'na regi: dixitque Arau'na ad regem: dominus deus tuus gratificetur tibi. Dixit autem rex ad Arau'nam, non, sed emendo etiam à te in precio, & non offeram domino deo meo holocausta gratuita, hoc est gratis habita, non meo precio. & Emit Dauid aream. Hic fiat punctus. tacetur enim areæ precium, quod narratur in 2. 1. ca. 1. paralipomenon: videlicet sexcenti sicli auri. & deinde legendum est. & boues argenti sicli quinquaginta. Et intellige cum bobus ligna plaustrum &c. Et adificauit Dauid ibi altare domino, & obtulit holocausta & pacifica. Primum obtulit holocausta: & visa benignitate diuinæ gratiæ in igne cœlitus immisso ad vorandum holocaustum intellexit diuinam propitiationem: & postea obtulit ibidem victimas pacificas. & propitiatus est dominus terræ & cessauit plaga à super Israel. Ecce tempus quo cessauit pestis: videlicet tempore holocausti oblatis à Dauide. tunc enim dixit deus angelo, multum &c. Et sic finitur liber Samuelis secundus: hoc est qui apud nos dicitur secundus regum. Romæ die. 7. octobris. 1531.

# THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS

Sancti Xysti, in tertium librum regum  
commentarij.



**E**rex David senuerat habebatq; ætatis plurimos dies, septuagenarius siquidem mortuus est. cūque operiretur vestibus, non calefiebat. Hinc apparet quod non erat vsus operimētorum ex pellibus animalium, sed ex lino vel lana duntaxat in regione illa. & propterea nō est mirum si David septuagenarius non sufficienter calefiebat ex operimentis laneis: complexiones enim indiuiduales infinitæ sunt. Dixeruntq; ei serui eius, quærant domino meo regi puellam virginem & stet coram rege & eum foueat: dormiatq; in sinu tuo & calefaciat dominum meum regem. vxores siquidem proprias David à se amouerat post incestum Absalon, solusque dormiebat nec fas erat regi offerre nisi virginem. Quæsierunt igitur puellam in omni termino Israel: & inuenerunt Abisag sunamithem & adduxerunt eam ad regem. Et puella erat pulchra vsque valde regemq; fouebat & ministrabat ei, rex vero non cognouit eam. Et hinc vere comprobatur frigiditas Davidis indigens calore puellari absque libidinis motu.

**A**donias autem filius Chagith eleuabatur dicēdo, ego regnabo. non viuente patre meo, sed post patrem meum. fecitque sibi currum & equites & quinquaginta viros currentes ante se. Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens, quare hoc fecisti? Iuxta Hebræum habetur. Et nō contristauit eum pater eius à diebus eius dicendo, quare sic fecisti? Ratio silentii paterni redditur dicendo & non contristauit eum. Quod autem dicitur à diebus eius refertur ad dies quibus Adonias fecit hæc. erant enim hi dies tanquam dies Adoniæ: utpote ad exaltationem & consolationem illius ordinati. eratq; etiam iste pulcher aspectu valde secundus natus. Iuxta Hebræum habetur. & ipsum genuit post Absalom. Vbi scito quod genuit est fœminini generis in hac litera. & propterea non ad Davidem, sed ad Hagith matrem Adoniæ refertur: & narratur quod mater eius genuit eū post Absalon, non ab ipsamet genitum, sed post Absalon genitum à sua

à sua matre Mahacha. Et narratur ciuitas Adoniæ post natiuitatem Absalon, ut intelligatur quod post mortem Absalonius primogenituræ deuolutum erat ad Adoniam: utpote natus immediate post Absalon. propterea enim tanquam primogeniti iura habens aspirabat ad succedendum patri in regnum hac pompa & fauore subiunctorum principum. Et fuerunt verba eius cum Ioab filio Zeru'ia & cum Eb'iathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. Zadoc vero sacerdos & Bena'iahu filius Tebo'iadab & Nathā propheta & Semci & Cherethi et Pelethi & omne robur exercitus. Iuxta Hebræum habetur. & Simhi & Rehi & fortes qui Davidi non fuerūt cum Adoni'iahu. Et sunt nomina propria virorum Simhi & Rehi, ut aiunt. Immolauitq; Adoni'iahu oues & boues & saginata iuxta lapidem Zocheleth. Dictionem hebraicam reliquerunt: cum potuissent dicere, tractus. non enim immobilis erat lapis ut rupes, sed erat lapis tractus. Et similiter cum subiūgit, qui erat vicinus fonti Rogel, significatur fons in quo fullones pedibus calcando abluebāt: huiusmodi enim calcationem significat Rogel. & vocauit omnes fratres suos filios regis, & omnes viros Ichuda seruos regis. Nathan autem prophetam & Bena'iahu & robustos quosque. Superfluit quosque. & Selomonem fratrem suum non vocauit.

**D**ixitque Nathan ad Bathsebah matrem Selomonis dicendo: nonne audisti quod regnauerit Adoni'iahu filius Chagith, & dominus noster David hoc ignorat? Legendum est, ignorauit: vere enim David tunc nesciebat conuiuium quod tunc fiebat ab Adonia, nec acclamationem ibidem factam Adoniæ viuarex. Et dixit hæc Nathā ne Bethsaba desperaret de regno Salomonis, putando quod de voluntate Davidis faceret hæc Adonias. Nunc ergo vale, consulam tibi quæso consilium: & salua animam tuam filij tui Selomonis. Periculum imminens vitæ eius & Salomonis manifestat, ex hoc quod Salomon nō erat inuitatus ab Adonia tanquā contrarius intentioni eius. Vade & ingredere ad regem David & dices ei, nonne tu domine mi rex iurasti ancille tue, dicēdo quod Selomo filius tuus regnabit post me & ipse sedebit super solium meum? Quando iurauerit David hoc, non est scriptum: sed nunc commemorando manifestatur, quare ergo regnauit Adoni'iahu? ecce adhuc te loquente ibi cum rege, ego veniam post te & complebo sermones tuos.

Et ingressa est Bathsebah ad regem in cubiculum: rex autem senuerat valde, & Abisag Sunamithis ministrabat regi. Inclinauitque

se Bathsebah & adorauit regem: & dixit rex, quid est tibi? Quae dixit ei: domine mi tu iurasti per dominum deum tuum ancille tuae. Nomina sunt solita, in Iehouah Elohe tuo: hoc est quae tanto affectu tantaque reuerentia colis. Selomo filius tuus regnabit post me & ipse sedebit super solium meum. Et nunc ecce Adonias regnat. Legendum est, regnauit, quia in conuiuio tunc acclamatum erat Adoniae uiuat rex. & nunc tu domine mi rex non nouisti. Immolauitque boues & saginata & oues in multitudine, & vocauit omnes filios regni & Eb' iathar sacerdotem et Ioab principem exercitus: Selomonem autem seruum tuum non vocauit. Veruntamen domine mi rex. Iuxta Hebraeum habetur. Et tu domine mi rex. Subauditur es. est enim sensus quod quauis talia gesta sint ab Adonia & suis, non tamen Adonias est rex (quemadmodum fuit Absalon) sed tu es rex. Deinde immediate subiungitur quantum valeat autoritas ipsius Davidis regis. oculi totius Israel in te ad indicandum eis quis sedebit super sedem domini mei regis post eum. Facile opus monstrat, quod solo verbo efficere potest. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Selomo peccatores. hoc est, habebimur & puniemur ut peccatores: ego quidem propter adulterium, Salomon vero quia non consensit Adoniae.

Et ecce adhuc ea loquente cum rege, Nathan propheta venit. Et nunciauerat regi dicendo, ecce Nathan propheta: ingressusque est ad conspectum regis, & adorauit regem super faciem suam in terram. Dixitque Nathan: domine mi rex tu dixisti, Adoniae regnabit post me & ipse sedebit super solium meum? Interrogatiue legenda est ista clausula. Quia descendit hodie & immolauit boues & saginata & oues in multitudine, & vocauit omnes filios regis, & principes exercitus, & Eb' iathar sacerdotem: & ecce ipsi comedunt & bibunt coram eo, & dixerunt, uiuat rex Adoniae. Me autem seruum tuum & Zadoc sacerdotem, & Bena' iahu filium Iehoiadah & Selomonem seruum tuum non vocauit. An a domino meo rege fuit verbum hoc, & non indicasti seruo tuo quis sessurus esset super solium domini mei regis post eum? Personam nescii induit Nathan, qui sciebat Dauidem non dixisse quod Adonias regnaret nec occultaesse ab ipso Nathan intentionem suam: quin potius ex hoc quod communicauerat Dauid ipsi Nathan intentionem suam de Salomone, personam admirantis induit Nathan quod non indicauerit ei mutationem consilii ordinando quod regnaret Adonias.

Et

Et respondit rex Dauid & dixit, uocate ad me Bathsebah. quae recesserat cedens Nathan propheta. ingressaque est ad regem, & stetit coram rege. Et iurauit rex & ait: uiuit dominus qui redemit animam meam de omni angustia. quod sicut iuravi tibi per dominum deum Israel (dicendo quod Selomo filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum post me) sic faciam hodie. Inclinauitque se Bathsebah facie in terram, & adorauit regem: & dixit, uiuat dominus meus rex Dauid in aeternum.

Dixit autem rex Dauid, uocate ad me Zadoc sacerdotem & Nathan prophetam, qui egressus fuerat e cubiculo regis. & Bena' iahu filium Iehoiadah: & ingressi sunt ad regem. Dixitque rex eis: tollite uobiscum seruos domini uestri. Seipsum significat. & equitare facite Selomonem filium meum super mulam meam. referuatam personae regiae. & descendere facietis eum in Ghichon. Nomen fontis creatur. Et unget eum ibi Zadoc sacerdos & Nathan propheta in regem super Israel: clangerisque buccina & dicetis, uiuat rex Selomo. Ascendensque post eum, & uenietis in Ierusalem. Iuxta Hebraeum habetur. & ueniet & sedebit super solium meum. utrunque enim ad Salomonem refertur: ut scilicet uentus in regem comitatus ueniat ad sedendum super solium regium, tanquam ad accipiendum possessionem regni. & ipse regnabit pro me. illique praecipiam. Iuxta H. b. habetur. & ipsum praecipi ut sit dux super Israel & super Iudam. Praecipisse (hoc est imperio statuisse) se testatur ipsum Salomonem, ut sit dux super Israel & Iudam. Respondit autem Bena' iahu filius Iehoiadah ad regem, & dixit, amen. Hebraica dictio affirmatis est. sic dicat dominus deus domini mei regis. Supplicantis ut assistat deus conformis his dictis sunt uerba haec prima. Quomodo fuit dominus cum domino meo rege, ita sit cum Salomone, & magnificet solium eius plusquam solium domini mei regis Dauid. Imprecantis duo optima sunt haec uerba.

Descenditque Zadoc sacerdos & Nathan propheta & Bena' iahu filius Iehoiadah & Cherethi & Pelethi: & equitare fecerunt Selomonem super mulam regis Dauid, & ire fecerunt eum in Ghichon. Sumpsitque Zadoc sacerdos cornu olei de tentorio. proculdubio domini: oleum enim sacrae unctionis sumpsit. & unxit Selomonem: & clangerunt buccina, & dixerunt totus populus, uiuat rex Selomo. Et ascenderunt totus populus post eum, & populus canebant tibis & laetabantur gaudio magno: & sonabat terra a uoce eorum.

Dd ij Audiis

**A**udiuit autem Adoni' iahu & omnes vocati qui erant cum eo ipsiq; sinierant comedere: & audiuit Ioab sonitum buccinae, & dixit quid sibi vult hæc vox civitatis tumultuantis? Ioab siquidem princeps exercitus incertum rumore audiens cum sono buccinae, suspicatus est malum aliquod subortum in civitate. Adhuc illo loquente, ecce Iehonathan filius Eb' iathar sacerdotis venit: dixitque Adoni' iahu, ingredi, quia vir fortis es et bonum nunciabis. Responditque Iehonathan & dixit ad Adoni' iahu: nequaquam, dominus enim noster. Hebraicè habetur. sed dominus noster rex David regnare fecit Selomonem, Prudēter non negavit bonum nuncium, ne verbo suo offenderet regem Salomonem: sed aduersariū respondit expectationi Adoniæ. Misitque cum eo rex Zadoc sacerdotem & Nathan prophetam & Bena' iahu filium Ieho' iadah & Cherethi & Pelethi: & equitare fecerunt eum super mulam regis. Et vixerunt cum Zadoc sacerdos & Nathan propheta in regem in Gbichon & ascenderunt inde letantes, & tumultuata est civitas: hæc est vox quam audisti. Legēdum est. audistis, omnes enim audierant incertum rumore. Et etiam scdit Selomo super solium regni. Et etiam venerūt servi regis ad benedicendum domino nostro regi Davidi dicendo, amplifcet deus. Hebraicè habetur. benefaciet Elohim tuus nomini Selomonis magisquā nomini tuo, & magnificabit solium eius, magis quam solium tuū, sed sentētia in idem redit. adoravitque rex super lectum suū. Et etiā sic dixit rex: benedictus dominus deus Israel qui dedit hodie sedentem super solium meū videntibus oculis meis. Territque sunt & surrexerunt omnes vocati qui erāt cum Adoni' iahu: & iurunt unusquisque in viam suam.

Adoni' iahu autem timens a facie Selomonis, surrexit & abiit in tabernaculum domini. Superfluit in tabernaculum domini. tenuitque cornu altaris. De altari holocaustorum quod erat tūc in excelsō Ghabaon est sermo. Et nunciaverunt Selomoni dicendo: ecce Adoni' iahu timens, regem Selomonem apprehendit cornu altaris dicendo, iuret mihi hodie. Hebraicè habetur, sicut hodie rex Selomo quod nō interficiet servum suum gladio. hoc est quem admodum hodie me gerentem nō interficiet: hoc est ab hodierno die opera mea pensabit posthabitis præteritis omnibus. Simili loquendi modo vsus est Iacob gene. 25. Dixitque Selomo: si fuerit vir bonus. Iuxta hebræum habetur, si eris in filium fortitudinis non cadet de capillis eius in terram, si vero malum inuenietur in eo & morietur. Præterita omnia posthabendo (vt

Adoniæ

Adoniæ petebat) ad gerēda deinceps cōvertit Salomon verba sua: quod si futuro tēpore aget vt vir fortis (hoc est confisus sibi ipsi profertenti se seruū Salomonis) nec capillum quidem perdet: si vero malū cōtrarium huic professioni deinceps inuentum in eo fuerit, occidetur. Misitque rex Selomo, & descendere fecerunt eum ab altari: & ingressus est & adoravit regem Selomonem. Dixitque ei Selomo, vade in domum tuam. Exequitur Salomon promissa.

## CAPVT II.

**A**ppropinquavit autem dies David vt moreretur, præcepitque Selomoni filio suo dicendo: Ego vado in viā viuēse terra, mortem scilicet. Roborare & esto vir fortis. Superfluit fortis. & observa vt custodias mandatā domini dei tui vt ambules in vijs eius. Iuxta Hebræum habetur. Et custodies custodiam Iehonah Elohe tui ad eundum in vijs eius. More solito primum in genere proponitur obediētia diuina, & deinde in specie ipsæ diuinæ viæ quadrifariam distinctæ subiunguntur. Quod autem dicitur custodies custodiam, hebraicæ tribue phrasi. & est sensus, curā habebis obseruantia debitæ summo deo in hoc vt eas in vijs eius, ad custodiendū ceremonias eius. Legendum esset. statuta eius, proculdubio cærimonialia. nam subiuncta præcepta, moralia sunt: iudicia vero, iudicialia: testimonia autem, tum reuelata tum facta ad ipso deo ad testificandum conditiones ipsius dei, gubernationem eius, gratiam atque iustitiā &c. vniuersa enim diuina in lege contenta, sub istis quatuor continentur. & præcepta eius & iudicia eius & testimonia eius, sicut scriptū est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa quæ facis & quocunque te verteris. Iuxta hebræū habetur. ideo intelliges omne quod facies & omne quo te verteris. Ex plena obseruatione dictōrū quatuor, promittit intelligentiam omnium, tum sponte agēdorum, tum ad quæ se verterit diuersis occurrentibus occasionibus. Vt confirmet. Confirmius legeretur. Ideo confirmabit dominus verbum suum quod locutus est super me dicendo. Ex eodem fonte promittit firmitatem diuinæ pollicitationis sibi Davidi factæ: sic custodies in fili tui vias meas & ambulauerint coram me. Iuxta hebræum habetur. vias suas ad eundum coram me in veritate, in toto corde suo & in tota anima sua: dicendo non abscindetur tibi vir de super solium Israel. Sententia est clara.

Et etiam tu nostique fecerit mihi Ioab filius Zeru'ia quæ fecerit

Dd iij

duobus

duobus principibus exercituum Israel, Abner filio net & Hamase filio Iether. Nō sunt diuersa facta Ioab Dauidi à factis aduersus duos principes subiunctos: sed eadem fuerunt etiam aduersus Dauidem, vt patet, quos occidit & effudit. Iuxta Hebræum habetur. & posuit sanguines belli in pace. hoc est existēte pace miscuit sanguinem bellicum, occidendo eos hostiliter & non autoritate iustitiæ. & dedit sanguines belli in Baltheo suo qui erat in lumbis eius, & in calciamento suo quod erat in pedibus eius. Prius peruersitatem belli in pace, modo peruersitatem truentandi ad exaggerationem criminis subiungit. cruore enim madere debet cingulum non occidentis, sed occisi, & similiter calceus non occidentis, sed occisi in bello. Ioab vero proditorie occidens principes percutiendo eos in quinta costa, proprium cingulum proprioque calceos perfudit sanguine. coniunctus enim erat ei quē occidebat tanquam complectens beniuole amicum. Facies ergo iuxta sapientiam tuam: & non descendere facies canicem eius pacifice ad inferos. Legendum est. ad foueam. proculdubio sepulchri. Si quaeris quare Dauid non puniuit Ioab tempore regni sui. responso habetur ex secundo libro regum in calce capituli tertij, dicente Dauide, isti filij Saruizæ duri sunt præ me. hoc enim dixit occiso Abner à Ioab: & similis ratio militabat occiso Hamasa. Inquietum enim regnum Dauidis simul cum potētia Ioab & fratris eius effecerūt vt Dauid differret iustitiam vindicatiuam tanto tempore. Filij autem Barzillai Ghilhadizæ facies gratiam, rūtque inter conuinas mēsa tua: quia sic accesserunt ad me quando fugiebam à facie Absalom fratris tui. Officium gratitudinis effecit: sed immemor fuit gratitudinis erga Ionatham, nihil disposuit ad emendandam præcipitem sententiam quam contra Mephiboseth dederat. Habes quoque apud te Simhi filium Ghere filij Lemini de Bachurim, qui maledixit mihi maledictione pessima. Parui refert quōd Hebraice habetur. vehementi. eadem enim est sententia. quando ibam ad castra. Legēdū est. Machanaim. Nomē est ciuitatis. & ipse descendit in occursum meū ad Iarden, & iurauit ei per dominū dicēdo, non mori faciā te gladio. Et nūc non dimittas eum innoxium, quia vir sapiens es vt scias quā facies ei, deducesq; canos eius cū sanguine ad inferos. Non violauit Dauid iusiurandū: quia nō madauit occidi Semei absolute, sed ex nouo peccato ad inueniēdum siquidem nouam causam iustam occidēdi eum tendunt hæc

verba

verba. quia vir sapiens es, & scies quid facies ei, & facies descendere senectutem eius in sanguine ad foueam. sepulchri.

Dormiuitque Dauid cum patribus suis: & sepulchus est in ciuitate Dauid. hoc est in Sion. Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt: in Chebron regnauit septem annis, & in Ierusalaim triginta tribus annis. Selomo vero sedit super solium Dauid patris sui: & firmatum est regnum eius valde.

Ingressus est autē Adoni iahu filius Chagith ad Bathsebah matrem Selomonis: & dixit Bathsebah, pacificusne est ingressus tuus? Parui refert quōd hebraice habetur. nū pax ingressus tuus? Et si milititer subiungitur. & dixit, pax. Hebraice est loquendi modus. Et dixit, verbum mihi est ad te: dixitque, loquere. Et dixit: tu nosti quod meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israel sibi in regem. Iuxta Hebræum habetur. & in me posuerunt omnis Israel facies suas ad regnandum. Et est sensus, quod omnis Israel spectabat ad me vt regaturus: quod minus est quam illud quod sonat vulgata æditio. sed translatum. Legendum est. & versum est regnum & fuit fratri meo. Omnia vera sunt quæ dicit. à domino enim constitutum est ei nō ex lege successionis versum est regnū à me in Salomonē (quia ego succedere debebā tāquā maior natu, sed quia à summo deo fuit electus Salomon ad successionē regni. Nūc ergo petitionē vnā peto à te, nō auertas faciem meā: & dixit ad eū, loquere. Et dixit: dic quæso Selomonis regi (non enim auertes faciē tuam) vt det mihi Abisag Sunamithem in vxorem. Dixitque Bathsebah: bene, ego loquar pro te ad regem.

Venit ergo Bathsebah ad regem Selomonem vt loqueretur ei pro Adoni iahu: surrexitque rex in occursum eius & adorauit eā. Vulgata æditio sæpissime vitur adorationis nomine pro honoratione: signum enim honoris incuruando se exhibuit Salomō matri suæ. et sedit super sedē suā, postaque est sedes matri regis et sedit ad dexterā eius. Et ait: petitionē vnā parua ego peto à te, non auertas faciē meā: dixitq; ei rex, pete mater mea quia vō auertā faciē tuā. Et ait: dēt Abisag Sunamithis Adoni iahu fratri tuo in vxorē.

Respondit rex Selomo & dixit matri suæ: cur tu petis Abisag Sunamithem Adoni iahu? pete ei & regnum. hoc est, petere Abisag in vxorem Adonix perinde est ac petere illi regnum. Et rationes subdit satis claras quo ad sententiā. quia ipse frater meus maior me est, & habet Ebi iathar sacerdotē & Ioab filium Zeruiæ. Et iurauit rex Selomo per dominum dicendo: sic faciat mihi deus et sic addat. Nomē est Elohim. quod cōtra animā suā locutus

Dd iij est

est Adoni' iahu verbū hoc. Quæstio oritur de veritate huius sententia: eo quod sermo Adoniae nulla ex parte inuenitur contra vitam propriam. nam petitio eius nec contra legem erat: quia Abisag adhuc erat virgo, & poterat licite nubere filio Davidis: non enim erat sub lege veteri impedimentum quod vocatur publicæ honestatis iustitia, quod pontificio iure introductum est inter Christianos. nec contra regē: quia non per extraneas vias, sed ex gratia ipsius regis rem licitam petebat.

Solutio est quod verba hæc verificari intelliguntur ratione eleuationis in quasi regiam celsitudinem concomitanter affectatę per nuptias Abisag, quæ fuerat vxor regis quantum incognita. Ita quod Salomon nō iudicauit cor Adoniae (soli Deo cognitum) sed cor eius vt affectans speciē celsitudinis regia. testatur enim litera quod contulit rem hanc petitam cum astate maiore fratris petentis, tū cum brachiis principis sacerdotū & principis exercitus: & ex his omnibus intulit perinde esse petere hoc ac si peteretur regnum. quæ nihil aliud sonant nisi quod nuptiæ istæ adiunctæ aliis conditionibus Adoniae, speciem regni præ se ferrent: & propterea contra vitam propriam locutus dicitur Adonias, nō quia contra legem nec ex modo quærendi has nuptias, sed ex ipsa re petita adiuncta aliis Adoniae partibus. *Et nūc vivit dominus quō firmavit me & quī fecit sedere me super solium David patris mei, & quī fecit mihi domum sicut locutus est: quod hodie morietur Adoni' iahu.* Non caret quæstione an ex hoc vnicō indicio antedicto licuerit Salomoni occidere fratrem suū tanquam reum læsæ maiestatis. dicendo enim hodie morietur, manifestat quod non expectata discussione alia iuravit illo die esse occidendum. Excuset qui scit: mihi enim non occurrit legitima Salomonis excusatio. nam non solum severa, sed etiam iniusta apparet hæc sententia mortis ex hoc vnicō indicio: nisi forte tunc temporis mos fuisset in causa læsæ maiestatis sufficere vnicū indicium, quæadmodum hodie iuristæ in crimine læsæ maiestatis indicia habent pro probationibus. *Misitque rex Salomo per manum Bena' iahu filij Ieho' iadah: & irruit in eum & mortuus est.*

Et ad Eb' iathar sacerdotem dixit rex: *vade in Hanathoth super agros tuos, quia vir mortis es.* Quam ob causam Abiathar esset dignus morte, nullibi inuenio. adiuuisse enim Adoniam antequam rex David promulgasset Salomonem in regem, non erat

erat dignum morte: eo quod adiuuabāt eum qui ius primogeniti habebat. *sed hodie non interficiam te, quia portasti arcum domini Dei.* Iuxta Hebræum habetur. *Adonai Iehouih.* hoc est domini mei fontis essendi. & hebraice affectu blando nominatur summus Deus dominus suus. *corā David patre meo, & quia afflictus fuisti in omnibus in quibus afflictus fuit pater meus.* Eiecitque Selomo Eb' iathar ab esse sacerdotem domini: vt impleretur sermo domini quem locutus fuerat super domū Heli in Silo. primi reg. ca. 2. scriptus. iste enim Abiathar descēderat ex Heli iudice & sacerdote in principio libri regum.

**V**enit autem nuncius ad Salomonem, Corrupta est litera: legendum est. *Et nuncium venit vsque Ioab.* Et est sensus quod sermo in aula regia sonans, nunciatus est ad Ioab, nō per destinatos nuncios, sed ex industria vel ex amore delatus, quod Ioab declinauit post Adoni' iahu, & post Selomonē. Corrupta est similiter litera: legendum est. *& post Absalom non declinauit.* Librabat enim in aula regia quod Ioab fauisset Adoniae & non fauisset Absalon valde dilecto ab ipso Ioab. & conferendo hæc, inferebatur quod in odiū Salomonis Ioab fauisset Adoniae: argumentum sumendo quod si amor mouisset Ioab, fauisset Absalon quem valde diligebat: nō ergo tā amor Adoniae quā odium erga Salomonem mouit Ioab ad adiuuandum adoniam. Huiusmodi sermonem versari in aula regia cum audisset Ioab à referentibus, timuit. *& fugit Ioab ad tentorium domini.* existens in excelso Chabaon. *& apprehendit cornua altaris. holocaustorum.* Nunciatumque est regi Salomoni quod fugisset Ioab ad tentoriū domini, & esset apud altare: *& misit Salomo Bena' iahu filium Ieho' iadah dicendo, vade irruere in eū. Et venit Bena' iahu ad tentoriū domini: & dixit ei, sic dixit rex egredere.* Hinc apparet reuerentia tum iussa tū exhibita altari. ideo enim nō interfecit eū quia rex iusserat vt extra altaris locum, illū interficeret. *& dixit nequaquā, sed hic moriar: retulitque Bena' iahu regi verbum dicendo, sic locutus est Ioab & sic respondit mihi.*

*Dixitque ei rex, sic sicut locutus est. hoc est interfice eū vbi est.* exod. enim. 30. sancitum est vt homicida ex insidiis, nō saluaretur ab altari. *& irruere in eum & sepeli eum: & remouebis sanguinem quem gratis effudit Ioab à me & à domo patris mei.* Et rededet dominus sanguinem eius super caput eius, qui irruit in duos viros iustiores & meliores se, & occidit eos gladio & pater meus David

mid nesciuit: Abner filium Ner principem exercitus Israel, & Hama-  
masam filium Iether principem exercitus Iehuda. Et revertentur san-  
guines illorum in caput Toab, & in caput seminis eius in seculum: Da-  
uidis autem & semini eius & domui eius & solio eius erit pax vsq;  
in seculum à Domino. Ascenditq; Bena' iahu filius Ieho' iadah, &  
irruit in eum & interfecit eum: & sepultus est in domo sua in deser-  
to. Et posuit rex Bena' iahu filium Ieho' iadah pro eo super exerci-  
tum: & Zadoc sacerdotem posuit rex pro Eb' iathar. Reduxit Salo-  
mon ad rectā lineam pōtificatum, qui auctore Deo (vt patet  
1. Reg. 2.) trāslatus fuerat in alteram lineam. Abiathar enim  
per lineā Ithamar descēderat ex Aharō: Sadoe vero per lineā  
Eleazari filij Aharon qui succēssit eidē Aharō in pōtificatu.

**M**isit quoque rex & vocauit Simhi, & dixit ei: adifica tibi  
Domum in Ierusalaim & habita ibi, & non egredieris inde  
huc & illuc. Quacunque autem die egressus fueris & transieris tor-  
rentē Cid'ron, sciendo scias quod moriēdo morieris: sanguis tuus erit  
in caput tuum. Dixitque Simhi ad regem, bonus est sermo, sicut lo-  
cutus est dominus meus rex sic faciet seruus tuus. Si queritur quo-  
ture Salomon licite statuit confinia Semei, adimendo ei li-  
bertatē tum habitādi in propria patria (videlicet Bachurim)  
tum nō egrediēdi trans torrentem Cedron. Solutio est quod  
huiusmodi pœna nō erat cōtra iusurandū Davidis: eo quod  
sub illius iuramento sola pœna mortis legitur, licuit itaq; Sa-  
lomoni hāc libertatem adimere Semei, accedente præsertim  
cōsensu iuramēto firmato ipsius Semei. māsīq; Simhi in Ieru-  
salaim diebus multis. Et fuit in fine trium annorum, fugerunt duo  
serui Simhi ad Achis filium Mahacha Regem Ghath: nunciatum-  
que est Simhi dicendo, ecce serui tui sunt in Ghath. Surrexitq; Sim-  
hi & stravit asinum suum, & iuit in Ghath ad Achis ad querēdum  
seruos suos: & iuit Simhi, & adduxit seruos suos de Ghath.

Nunciatum est autem regi Selomoni quod iuisset Simhi de Ieru-  
salaim in Ghath & redisset. Et misit rex & vocauit Simhi, & di-  
xit ad eum: nōne iuravi tibi per dominum & contestatus sum tibi  
dicendo, in die qua egressus fueris et abieris huc & huc sciendo scias  
quod moriēdo morieris, & dixisti mihi, bonus est sermo quem au-  
diui? Et quare non custodisti iusurandum domini, & præceptum  
quod præcepi tibi? Hinc apparet quod vltra regiū præceptum  
interuenerat iuramentum Semei. Dixitque rex ad Simhi, &  
nostri totum malum cuius conscius est cor tuum, quod fecisti Davidi  
patri meo reddidit dominus. Parui refert quod Hebraicē habeat.

& reddet Iehouah malum tuum in caput tuū. Ecce quam sapien-  
ter ex noua caussa iusta Salomon occidendum duxit Semei:  
propter iustitiam enim attribuit deo hanc vindictam: & im-  
munem se ac thronum Davidis à violatione iuramenti sub-  
iungit. Et rex Selomo benedictus: & solium Davidis erit stabile cor-  
am domino vsque in seculum. Iustitque rex Ben' iahu filio Ieho' ia-  
dah, qui aggressus est. Legēdum est. & egressus est & irruit in eum  
& mortuus est. non enim coram Salomone interfecit eum. &  
regnum confirmatum est in manu Selomonis. CAP. III.



**D**affinitate coniunctus est Selomo Parthoni regi  
ægypti. Quæstio suboritur an hoc cōiugium  
licitum fuerit. Solutio est, q̄ quemadmodū  
licuit Davidi vxorē ducere filiam Thalma-  
regis Ghesur, ita illius exemplo licuit Salo-  
moni ducere filiā Pharaonis. cepitque filiā Pa-  
rthonis & adduxit eam ad ciuitatem David, donec compleret ædifi-  
care domum suam, et domum domini, & murum Ierusalaim per cir-  
cumitum. Veruntamen populus immolabat in excelsis: non enim adifi-  
cata erat domus nomini domini vsque ad dies illos. Ratio reddi-  
tur impunis immolationis in locis excelsis, vbi nec arca dei  
nec tabernaculum dei erat: quia videlicet nondū erat ædifi-  
catum templum. Dixi impunis, quia non omnino licita erat.

**D**ilexit autem Selomo dominum, ambulando in statutis David  
patris sui. Hinc apparet quod Salomō non contra præce-  
pta diuina duxit filiā Pharaonis, de tēpore enim medio vsq;  
ad ædificatum templum scribitur quod dilexit Salomon do-  
minū: & infra idem tempus scribitur duxisse filiam Pharao-  
nis in ciuitatem David, excepto quod in excelsis immolabat &  
idolificabat. Nisi declinatio nonnulla à rectitudine fuisset  
immolare in excelsis, nequaquam à commendatione Salo-  
monis quod diligebat deum ad eundem in præceptis Dau-  
dis patris sui, excepta fuisset immolatio in excelsis. nō tam  
ergo licita quam impunis erat immolatio in excelsis prohi-  
bita in lege Moſis. Iustique rex in Ghibbon ad immolandū ibi.  
vbi tunc erat tabernaculū domini: vt testatur liber paralī. ſe-  
cundus. ca. 1. Illud enim erat excelsum maximū, pro magnū. Nisi  
delectabile fuisset Salomoni immolare in locis excelsis, non  
attulisset scriptura hanc rationem ex celsitudine loci, sed ex  
tabernaculo domini & altari ibidē. mille holocausta obtulit Se-  
lomo super altare illud. q̄ tempore Moſis fabricatum fuerat ex  
ære. Simulataq; Salomō satisfecit & legi & loco delectabili,

immolando coram tabernaculo domini super altare domini in excelso Ghabaon.

**I**N Ghibbon apparuit dominus Salomoni in somnio noctis: dixitque Deus, postula quod vis & dabo tibi. Nisi placuisset Deo sacrificium Salomonis ibidem, non narraretur huiusmodi apparitio tanquam premium. Et ait Salomo, tu fecisti cum seruo tuo David patre meo misericordiam. Lege gratiam magnam, sicut ambulauit coram te in veritate & in iustitia & in relictitudine cordis tecum: & custodisti ei misericordiam. Lege gratiam magnam istam, & dedisti ei filium sedentem super solium eius sicut est hodie. Et nunc domine Deus tu regnare fecisti me seruum tuum pro David patre meo: & ego sum puer paruus, non sciam egredi & ingredi. adolefcentiam enim adhuc agebat: sed hebræi iuuenes appellantes pueros, dicunt puerum paruukim adolefcentem. Et seruus tuus est in medio populi tui quem elegisti: populi insinisti. Lege, populi multi qui non numerabitur nec recensabitur præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile vt iudicare possit populum tuum. Rectius diceretur cor intelligens ad iudicandum populum tuum & discernendum inter bonum & malum. intelligentia siquidem indita eget princeps, quam significat cor intelligens. quātuncunque enim sapientes habeat secum, nisi ipse ex iurimtis sapiat, minor est ad iudicandum & discernendum inter bonum & malum in singularibus causis, occurrentibus & euētibus. quis enim potest iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? Iuxta Hebræum duntaxat habetur, quia quis poterit iudicare populum tuam grauem istum? Et dixit grauem (non onerosum, sed autoritate) eo quod ascitus esset in populum Dei.

Placuitque sermo in oculis domini: eo quod Salomo rem hanc postulaisset. Et dixit Deus ad eum. Nomen est Elohim, congruū subiunctæ dispensationi, quia postulasti verbum hoc. Legendum esset rem istam, quia rem petierat Salomon, & non postulasti tibi dies multos nec diuitias nec animam inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad audiendum iudicium. Ecce feci secundum sermones tuos: ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, ita quod sicut tu non fuit ante te. De sapientia & intellectu ad iudicandum causas populi intellige singularem hanc gratiam Salomonis: & non absolute inter homines, sed inter rectores populi Israel. hæc enim limitatio significatur subiungendo. & post te non surget sicut tu, dicendo enim non surget, manifestat se loqui de principibus. Et etiam quæ non postulasti dedi tibi,

etiam

etiam diuitias, etiam honorem: ita quod non fuit sicut tu in regibus cunctis retro diebus. Iuxta Hebræum habetur. omnibus diebus tuis extenduntur enim hæc dona ad vniuersum tempus vitæ Salomonis. Et si ambulaueris in viis meis ad custodiendam statuta mea & præcepta mea, sicut ambulauit David pater tuus: longos faciam dies tuos. Longitudinem vitæ non promittit absolute, sed sub conditione si imitatus fuerit patrem seruando diuina præcepta.

Experfectusque est Salomo, & intellexit quod esset somnium. Iuxta Hebræum habetur. & ecce somnium. Non obliuioni datum fuit somnium, sed experfecto occurrit. & venit in Ierusalaim, & stetit coram arca fœderis domini & obtulit holocausta, & fecit pacifica, & fecit conuiuium omnibus seruis suis. Ad gratias agendum Deo obtulit in Sion coram arca Dei holocausta & pacifica: ad congratulandum autem fecit conuiuium propter dictam visionem.

**T**unc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem: & steterunt coram eo. Effectus sapientiæ datæ Salomoni subscribitur. Quarum vna ait: obsecro domine mi ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperit apud eam in domo. Et tertia die postquam ego peperit, peperit etiã mulier hæc: etramisque simul, nõ erat extraneus nobiscum in domo præter nos duas in domo. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte, quæ iacuit super eum. Surrexitque media nocte & tulit filium meum de latere meo (ancilla tuæ dormientis) & collocauit eum in sinu suo: & filium suum mortuum collocauit in sinu meo. Surrexitque mane vt lactarem filium meum, & ecce mortuus: considerauique eum mane, & ecce non erat filius meus quem pepereram: dixit autem mulier altera, non quia filius meus viuit & filius tuus mortuus est: & hæc dicebat, mentiris. Interpret ad exaggerandum, simplicem negationem mutauit in mentiris, quia filius tuus mortuus est & filius meus viuit: atque in hunc modum loquebantur coram rege.

Dixitque rex, hæc dicit, hic est filius meus qui viuit, & filius tuus mortuus est: et hæc dicit, nõ, sed filius tuus mortuus est et filius meus viuit. Dixit ergo rex, afferite mihi gladium: & attulerunt gladium coram rege. Dixitque rex: diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidium vni & dimidium alteri. Præceptum hoc non ad executionem diuisionis, sed ad explorandum muliebrem animum prolatum est. tali enim præcepto discutendam fuisse causam, non solum euentus comprobauit, sed & recta ratio suadebat, vt veræ matris viscera commouerentur audito præcepto



præcepto diuidendi infantis viui. Nec erat periculum ne diuideretur infans interim: quoniã ipse rex præiens erat. Dixit autem mulier cuius filius erat viuus ad regem (cõmota enim sunt viscera eius super filium suum) obsecro domine mi, date ei infantem viuum & nõ interficiatis eum: illa autem dicebat, nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. Respondit autẽ rex & dixit: date ei infantem viuũ & non interficiatis eum, hæc est mater eius. Nõ potuit causa hæc sine testibus perspicacius & rectius diffiniri. Audiuertit itaque totus Israel iudicium quod iudicauit rex, & timuerunt à facie regis: quia viderunt sapientiam Dei esse in corde eius ad faciendum iudicium. Nomen est Elohim, optime quadrans materiam.

## CAPVT. IIII.

**F**uit rex Salomo, rex super totũ Israel. Et isti sunt principes quos ipse habebat: Hazar' iahu filius Zadoc sacerdotis, Elichoreph & Ach'ia filius Sise scriba. Tres scribas intellige vt vulgata sonat æditio conformis hebraicẽ literã. & Iehosaphat filius Achilud à cõmentariis. Iuxta hebræum habetur, recordans, prout etiam habetur. 2. reg. 8. vbi hoc officium exposuimus. Et Ben' iahu filius Ieho' iadab super exercitum: & Zadoc & Eb' iathar sacerdotes. Et statim occurrit quæstio, ex eo quod in ca. 2. scriptum est quod Salomon eiecit Abiathar vt non esset sacerdos Domini. Solutio est vel quod Abiathar tunc quidem paruit regi, & postea reuocatus fuerit non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium: vel quod tunc supplex impetrauit vt non eiiceretur à Ierusalem, & remanserit non pontifex, sed simplex sacerdos: ita quod depositus est à pontificatu & ex gratia obtinuit ministerium simplicis sacerdotis. vtrunque enim cõprehenditur sub propheta denunciata Heli. 1. reg. 2. & propterea Zadoc pontifex prænominatur. Et Hazar' iahu filius Nathan super præfectos qui assistebant regi. Iuxta Hebræum habetur, super præfectos, & nihil dicitur de assistentia. Et quoniam dicitur super præfectos, & subiunguntur postea duodecim præfecti & vnus super totam terram, iste filius Nathan super illos præfectos duodecim intelligitur. & Zabud filius Nathan sacerdos amicus regis. Alter Nathan filius tanquam pontifex honorabatur, eo quod proximus esset regi. sacerdos enim nomẽ est dignitatis hoc in loco: & hebraicẽ scribitur sacerdos socius regis, vt pote alitus cum Salomone sub disciplina Nathan prophetae

prophetae patris istius Zabud. Et Achisar super domum: & Adoniram filius Hada super tributum.

Habebatque Salomo duodecim præfectos super totum Israel, qui alebant regem & domum eius: per mensem in anno erat super vnumquẽq; cura alendi. Et hæc nomina eorum: Ben' cher in monte Eph'raim. Ben' decer in Machab & in Sahalim & Beth' semes: & Elon Beth' chanan. Ben' chesed in Aruboth: ei erat Socho & tota terra Chepher. Ben' abinadab in tota prouincia Dor: Taphath filia Selomonis erat ei in uxorem. Bahana filius Achilud in Thanac & Megiddo: & tota Beth' sean quæ est iuxta Zarithan de sub Iuxrebele à Beth' sean vsque ad Abel Mechola, vsque trans Iochmeham. Ben' gheber in Ramoth Ghilhad: ei erat villa La'ir filij Menasis quæ erant in Ghilhad, ei erat regio Argob quæ est in Basan sexaginta ciuitates magna murata & habentes seras areas. Achinadab filius Hiddo in Machanaim. Achimaham in Naphthali: etiam ipse cepit Bosinath filiam Selomonis in uxorem. inter istos præfectos duo narrantur generi Salomonis: non quod in principio regni eius fuerit eorum foci: sed describuntur præfecti generi tempore regni nõ arctando ad initium regni. Bahana filius Chusai in Afer & in Haloth, Iehosaphat filius Paru'ach in Isaschar. Simhi filius Ele in Bin'iamin. Gheber filius Vri in terra Ghilhad: in terra Sichon regis Emorei & Hog regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra. Manca est litera: legendum est. & præfectus vnus qui in terra. Præter duodecim præfectos, iste vnus subiungitur tanquam vniuersæ terræ præfectus. subiungitur autem sine nomine, vt intelligamus huc esse Hazariã filium Nathan prius descriptum super præfectos. Iehuda & Israel multi sicut arena quæ est iuxta mare in multitudine: comedentes & bibentes & lactantes. Et Salomo fuit dominans in omnibus regnis à flumine terre Pelisthim vsque ad terminum Aegypti: offerentibus munera & seruientibus Salomoni omnibus diebus vite eius.

Erat autem panis Salomonis per singulos dies, triginta chori similia. hoc est floris farinae ex qua fiebat panis pro nobilibus qui vescerentur ex mensa Salomonis. & sexaginta chori farinae. Chorus est nomẽ mensuræ quã oportet diuinare. conici tamen potest cõferendo panẽ cũ carnibus: oportet enim intelligere pportio natam fuisse mensurã panis carnibus triginta bouũ & centum pecudũ. Decem boues pingues & viginti boues pascuales & centum oves: præter cervos & capreas & Bubalos. Hebraicẽ habetur. Iachmur, quod nomen animalis syluestris esse quadrat.

et gallinaceos saginatos. Ipse enim dominabatur in tota regione qua est trans flumē quasi à Thapsa vsq; ad Gasam. Superfluit quasi: & legendum esset. à Thiphsach et vsque Ah Haxam. Nomen proprium loci est Thiphsach. & cunctis regionibus illarum regionum. Iuxta Hebræum habetur. & omnibus regionibus trans flumen. & de Iordanis flumine intelligendum est. & ipse habebat pacem ex omni parte in circumitu. Habitauitq; Iehuda & Israel confidenter (vnusquisque sub vite sua & sub ficu sua) à Dan vsque ad Beer'sebah, omnibus diebus Selomonis.

Et habebat Selomo quadraginta millia præsepia equorum curviliū. Hebraica dictio interpretata præsepia, rectius fuisset interpretata. impinguatorum equorum ad currus suos, numerus enim equorum narratur. Et ne intelligerentur equi quomodolibet habiti ad trahēdos currus, describuntur impinguatī: hoc est pasti in locis propriis ipsius regis, ad excludendum enim mutuos equos, hoc scribitur. vnde & subditur numerus duodecim millium equorum ad equitandum. & duodecim millia equitum. Et alebant præfecti isti regem Selomonem & omnes accedentes ad mensam regis Selomonis, vnusquisque in mense suo, non stuebant quippiam deficere. Et hordea & fenum pro equis & iumentis: de ferebant ad locum vbi erat rex, vnusquisque iuxta constitutum sibi.

**D**editque deus. Nomen est Elohim. sapientiam Selomoni & intelligentiā multam valde. Repetitur diuinum donū sapientiæ & intellectus tum ad adiungendum alterum donum in affectu, tum ad explicandum sapientiam Salomonis relative ad alios. & latitudinem cordis quasi arenam quæ est in littore maris. Amplitudo animi Salomonis ad ardua quæ ad magnificum & magnanimū spectant, describitur ad similitudinem extēsiōnis corpore: & oræ arenosi littoris magni maris. Et amplior fuit sapientia Selomonis sapientia omnium filiorum orientis, & omni sapientia Aegyptiorum. intellige temporis Salomonis. Et similiter intellige quod subiungitur de cunctis hominibus. Factusque est sapiens præ omni homine, præ Ethan Ezrachita. Hebræus erat: iste qui nominatur in titulo psalmi misericordias domini in æternum cantabo. & Heman & Chalchol & Dardah filius Machol. Non inuenio qui fuerint isti tres filii Machol. & fuit nomen eius in omnibus gentibus per circumitum.

Locusque est tria millia parabolarum. Nec tertiam partem istarū habemus in parabolis Salomonis. Et fuerūt carmina eius.

Iuxta

Iuxta hebræū habetur. & fuit cantus eius. sed cantus pro cantico sumitur, abstractū pro concreto. quinque millia, Hebraicè habetur. quinque & mille. Nescio si aliquid horum habetur à nobis. Et disputant. Iuxta Hebræum habetur. Et locutus est de arboribus, à cedro quæ est in lebanon vsque ad hysopum quæ egreditur de pariete. Nihil horū de vegetabilibus à Salomone scriptum inuenitur. & disserunt. Hebraicè habetur. & locutus est de bestiis & de volatilibus & de reptilibus & de piscibus. Similiter caremus huiusmodi libris de animalibus: & nihil in specie dicitur scriptum aut dictum de astris, nihil de vocatis exorcismis aut dæmonibus. Et veniebāt ex omnibus populis ad audiendam sapientiam Selomonis: & ab omnibus regionibus terræ. Superfluit coniunctio &. significatur enim quod ex omnibus populis ab vniuersis regionibus veniebant aliqui missi ad audiendum sapientiam Salomonis. qui audiebant. Legendum est. qui audierunt sapientiam eius. Et est limitatio regum, ad differentiam illorum regum qui nō audierunt sapientiam eius: hoc est ad quos per auditum non peruenerunt aliqua confirmantia sapientiam eius. Salomon enim non fuit vnquam monarcha, vt sua innotescerent vniuerso orbi: sed fuit rex magnus in Syria.

## CAP. V.

**I**ste autem Chiram rex Tyri seruos suos ad Selomonem, audierat enim quod ipsum vixissent in regem pro patre eius: quia amicus fuerat Chiram Dauidi omnibus diebus. Hinc apparet quod inimicitia Tyriorū ad Dauidem scripta in psal. 82. non fuit tempore istius regis Hirā. Misitq; Selomo ad Chiram dicendo. Tu nosti Dauid patrem meum non potuisse adificare domū nomini domini dei sui propter bella quæ circumdederunt eum: donec posuit eos dominus sub plantis pedis eius. Nunc autem requiē dedit dominus deus mihi in circuitu: non est aduersarius neque occursum malus. Et ecce cogito adificare domum nomini dei mei: sicut locutus est dominus ad Dauid patrem meum dicendo. filius tuus quem dabo pro te super solium tuum ipse adificabit domum nomini meo. Præcipe igitur vt præcidant mihi serui tui cedros de lebanon. Interpres pro claritate addidit serui tui. & serui mei sint cum seruis tuis, mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quancunque petieris: nouisti enim quod non est inter nos vis sciens cedere ligna sicut Sidonii.

Et fuit cum audisset Chiram verba Selomonis, letatus est valde:

Ec